



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum  
theologiae scholasticae tomus ...**

**Rhodes, Georges de**

**Lugduni, 1661**

Sectio I. Virtutum moralium supernaturalium existentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

do inquit Prosper l. 3. de vita contemplatiua c. 18. *Quatuor cardinales venti quibus perflatur diuinitus anima*, inquit Olympiodorus in c. 1. Ecclesiastice: *quatuor diuini Thymiamatis particula* vt docet S. Nilus l. deorat. c. 4. *quatuor rota diuini currus quibus Triumphalis gloria Domini animam ingreditur* vt ait Ambrosius l. 3. de virginibus: verum prohibent voluminis angustia quod excreceret præter modum, plenam dare hanc virtutum explicationem quæ magis etiam pertinere videtur ad moralem Philosophiam, vel etiam ad Theologiam practici casuum. Vnde mihi nunc breuiter dicendum est, primò de Virtutibus supernaturalibus generatim: deinde de Prudentia, Iustitia, & quantum satis est ad dignoscendam earum quidditatem, partes & vitia opposita.

## QVÆSTIO I.

De virtutibus moralibus supernaturalibus generatim. S. Thomas 12.

Significatio  
triplex vir-  
tutis.

**T**Ria (virtutis) nomine vulgò significantur, primò, perfectio qualibet & facultas aliquid efficiendi: deinde ipsa operatio talis virtutis, denique maximè propriè perfectio aliqua rationalis potentia superaddita, effectrix operationis rationalis perfectæ, vnde definit eam Philosophus 7. Physic. *dispositionem perfecti ad optimum*, id est ad perfectam operationem: quæ optima operatio, si sit operatio intellectus & versetur indefectibiliter circa verum erit virtus intellectualis: si versetur immediatè circa Deum, erit Theologica, si versetur circa bonos mores, id est circa liberas operationes voluntatis conformes rectæ rationi erit virtus moralis. De qua generatim scienda sunt quinque, primò, existentia, secundo quidditas, tertio variæ species, quarto variæ partes, quinto variæ proprietates. Nam de causis Virtutum vix videtur necesse aliquid ponere.

## SECTIO I.

Virtutum moralium supernaturalium existentia.

Prima dubi-  
tatio.

**R**atio dubitandi primò est, quia illa virtus non est per se infusa, quæ per proprios hominis actus acquiri potest, sed nulla est virtus moralis, quæ non possit acquiri per proprios hominis actus, virtus enim moralis versatur circa materiam naturalem, & respicit honestatem proportionatam naturæ rationali, nam moralitas est conformitas vel difformitas cum natura rationali, ergo nulla est virtus moralis quæ sit per se infusa sed ad summum infusa per accidens.

Secunda du-  
bitatio.

Secundò, si darentur virtutes morales quæ infunderentur in iustificatione hominis, esset necesse vt per illas excluderentur vitia opposita, & passionēs coercerentur, virtutes enim omnes morales præter iustitiam versantur circa passionēs. Sed in iustificatione hominis nihil infunditur quo excludantur vitia, ergo non infunduntur virtutes morales. Probatur maior, quia implicat vt voluntas simul inclinetur ad obiecta iustitiæ, & iniustitiæ, temperantiæ ac intemperantiæ, sed si essent in eodem virtutes cum habitibus oppositis hoc contingeret, nam temperantia inclinaret ad sobrietatem, intemperantia verò ad ebrietatem ergo &c.

Tertia dubi-  
tatio.

Tertio, non satis apparet qualis esse possit character proprius harum virtutum supernaturalium in quibus nihil omnino est, quod non sit in virtutibus purè naturalibus, vt sæpius dictum est: si enim ad illas

requiritur gratia, certè datur in illis aliquid per quod illam potius requirant quàm alia, illud autem assignari non nisi difficile poterit.

Dico primò, certum omnino esse Theologicè, quod datur in homine iusto virtutes morales secundum substantiam supernaturales. Ita docent cum S. Thoma 12 q. 63. art. 4. & questione prima de virtutibus art. 10. Suarez l. 2. de gratia c. 16. & l. 6. c. 9. Vasquez prima 2. disp. 86. c. 2. & alij communiter.

Probatio.

Ratio est, quia illa virtutes sunt supernaturales secundum substantiam, quæ sunt connaturales proprietates gratiæ sanctificantis, efficientis in nobis statum diuinum: sed virtutes etiam morales sunt connaturales proprietates gratiæ, nam sicut forma naturalis postulat intrinsecas facultates, quibus possit in omni materia conuenienter operari conformiter ad statum suum, & finem naturalem, ita gratia per quam efficitur in nobis diuinus status, postulat principia intrinseca, quibus homo posset in qualibet materia diuinè operari conuenienter ad finem supernaturalem, sed hæc principia sunt virtutes morales, ergo illæ sunt proprietates gratiæ sanctificantis.

Dico secundò, virtutes morales supernaturales specie differre à virtutibus purè naturalibus per honestates prout supernaturaliter cognoscibiles, & nobiliore modo attingibiles: cognitiones autè diuersas quibus regulantur esse optimum signum per quod distinctio illa explicatur & cognoscitur. Ita omnino sequitur ex sæpe dictis de Virtutibus Theologicis.

Differunt  
specie à na-  
turalibus.

Ratio enim vniuersim erat, quia implicat vt nobilior virtus non attingat obiectum suum nobiliori modo, & sub nobiliori ratione, quàm virtus minus nobilis: virtus supernaturalis est nobilior virtute naturali, ergo nobiliori modo & sub nobiliori ratione attingit obiectum suum: non potest autem attingere illud nobiliori modo, nisi prius obiectum nobiliori modo sit attingibile fundamentaliter & motiue: hæc enim attingibilitas esto terminatiue sit ipse actus, fundamèntaliter tamen est ipsamet virtus obiecti ad mouendam potentiam sub ratione nobiliori.

Probatio.

Ad primam, respondeo negando quod virtutes omnes morales possint acquiri per actus hominis naturales: virtus enim supernaturalis versatur circa materiam naturalem sed respicit tamen honestatem proportionatam naturæ rationali quatenus per gratiam eleuatæ & rectæ rationi supernaturali. Sicut enim honestas naturalis est conformitas cum natura rationali & recta ratione naturali, sic honestas supernaturalis est conformitas cum cognitione fidei.

Solutio pri-  
mæ dubita-  
tionis.

Ad secundam respondeo virtutes supernaturales non expellere vitia, neque passionēs coercere, quia non habent effectus formales vitii contrarios: nam effectus formalis intemperantiæ est dare facilitatem ad actum naturalem intemperantiæ, habitus autem supernaturalis non faciliat, sed dat simpliciter operari conferendo potestatem altioris ordinis neque minuit difficultatem quæ oritur ex præcedenti consuetudine, vel ex passionibus. Cum igitur homo per istos habitus non inclinetur accipiendo facilitatem, sed nouam potestatem simpliciter operandi, potest esse simul supernaturaliter castus per potestatem accipiendi actus supernaturales, & naturaliter impudicus per qualitatem facilitantem ad actus impudicitia.

Solutio se-  
cundæ.

Instabis, actus virtutum supernaturalium ita instantia: sunt oppositi actibus vitiorum, vt non possint esse vllò modo simul, nemo enim elicere potest actum castitatis supernaturalis, & committere adulterium, ergo

ergo

ergo principia illorum actuum se mutuo expellunt; tota enim ratio, cur habitus virtutum naturalium excludant habitus vitiorum, est oppositio illorum actuum.

Respondeo distinguendo consequentiam, ergo principia illorum actuum opponuntur, quæ sunt eodem modo principia, concedo, quæ sunt diuerso modo principia nego: habitus vitiosus est principium facilitans: virtus autem supernaturalis non faciliat, sed dat simpliciter operari, vnde non opponuntur.

Ad tertiam respondeo solutionem sæpe datam pro virtutibus Theologicis veram etiam esse pro moralibus. Quod nimirum ratio primo distinctiua naturalium à supernaturalibus sit obiectum formale diuersum in ratione obiecti non autem diuersum in ratione rei.

## SECTIO II.

### Propria quidditas virtutum moralium.

Definitio  
virtutis mor-  
alis.

**C**ertum est primò, virtutem moralem rectè à Philosopho definiti 2. *Ethicorum* c. 6. est habitus electiuus in mediocritate consistens ea, quæ est ad nos, & prout prudens definitur. Primò dicitur *habitus* quia generatur assuetudine, & actuum frequentia. Deinde dicitur habitus *electiuus* idest deferuiens voluntati elicenti operationes liberas & deliberatas: denique dicitur *in mediocritate consistens* &c. differentia enim propria virtutis est, quod eligat liberè medium illud quod recta ratio præscribit, *virtus enim* inquit Philosophus *coniectatrix mediæ est quod recta ratio præscribit* hoc autem vt intelligatur.

Medium, ob-  
iectum vir-  
tutis.

Certum est secundo, Medium propriè vocari hoc loco illud quod excedit, nec deficit, vnde Medium idem est ac æquale, cum enim in quolibet diuisibili tria quædam accipi possint plus, minus, & æquale, necesse est vt æquale Medium sit inter plus & minus. Medium autem illud (inquit Philosophus) duplex est, aliud dicitur medium rei, quod æqualiter distat ab extremis, & est semper apud omnes idem, sumitur enim per cõparationem absolutam rei ad re v.g. quaternarius apud omnes idem omnino mediæ inter binarium & senarium à quibus æqualiter distat. Aliud est medium rationis, quod non est apud omnes idem, nec sumitur per cõparationem absolutam rei ad rem, sed quod pensatis omnibus circumstantiis recta ratio iudicat debite recedere ab vtroque extremo, idest nec excedere, nec deficere: nam v.g. id quod debet vnusquisque sumere cibi ex regulis temperantiæ, non est inter omnes idem, quod enim alteri est plus, est alteri minus, sed pensata necessitate personæ, ac cæteris circumstantiis recta ratio præscribit, quid quisque debeat sumere. His positis.

Medium ra-  
tionis.

Controuertitur quomodo qualibet virtus consistat in aliquo Medio, & quod illa sit propria quidditas virtutis.

Prima dubi-  
tatio, nullam  
virtutem ef-  
fe inter vi-  
tia.

Ratio enim dubitandi primò est, quia si virtus moralis esset mediocritas aliqua, esset necesse vt illa esset semper inter duo vitia extrema: hoc autem non videtur verum, si enim temperantiæ v.g. opponerentur duo vitia extrema, sequeretur quod duo illa vitia prohiberentur per talem virtutem, consequens autem absurdum est, nam si duo illa vitia prohiberentur per temperantiæ sequeretur eum qui nimium ieiunat æque intemperantem esse ac eum, qui nimium capit cibum, nemo autem intemperantem vocat hominem nimium ieiunans deditum, nemo impatientem illum qui excedit patientiam iniurias.

Secunda du-  
bitatio.

Secundò, virtus eo perfectior est quò magis di-

stat à mediocritate, imò sic virtus constaret ex duobus vitiis, quia medium participat duo extrema, oporteret etiam eum qui ab excessu, ad defectum vitij progreditur necessariò habere prius virtutem, quia non peruenit ab vno extremo ad aliud extremum nisi per aliquod medium.

Tertiò, saltem non omnis virtus moralis est in medio, nam iustitia cui opponitur iniustitia, non est inter duo extrema vitia, qui enim nimis parum restituit est reuerà iniustus, qui autem pius restituit quàm debeat non est iniustus. Religio quoque media non est inter duo vitia, quia, non possum excedere Deum honorando: non possum esse nimis patiens in tolerandis iniuriis, non possum nimis obedire Deo, & superiori: non possum excedere dolendo de peccatis, saltem ex parte obiecti, quamvis excedere possim ex parte actus sicut possunt etiam excedere Fides, Spes, & Charitas.

Tertia quod  
saltem ali-  
qua virtus  
moralis non  
sit in medio.

Quartò denique saltem esse in Medio, non soli conuenit virtuti morali: nam etiam Fides est in medio nimis credulitatis, & nimis incredulitatis, Spes, inter præsumptionem & desperationem, Charitas etiam inter nimiam seueritatem, & nimiam indulgentiam, inter acediam & nimium ferorem. Imò virtutes intellectuales respiciunt veritatem, idest conformitatem cognitionis cum obiecto, idest vt neque plus, neque minus tribuant obiecto quàm oportet.

Quarta  
quod non  
illa sola.

Dico primò, propriam essentiam virtutis moralis esse in eo sitam quod obiectum eius tum formale tum materiale sit medium illud quod dicitur rationis, neque illud aliq conuenire posse quàm virtuti morali.

Assertio.

Ratio facilis videtur primò, quod obiectum formale: quia nulla est virtus moralis cuius obiectum formale non sit honestas seu conformitas actus quem imperat cum recta ratione, sed respicere conformitatem actus cum recta ratione tanquam proprium motuum est respicere medium rationis tanquam obiectum formale, nam illud quod recta ratio præscribit nec excedit nec deficit, quod vocatur medium rationis. Hoc autem patet quod nulli conueniat virtuti Theologicæ, cuius proprium obiectum non est honestas, sed perfectio aliqua diuina virtutes quoque intellectuales non versantur circa medium quod præscribit recta ratio moralis, siueque illud soli virtuti morali est proprium.

Prima pars  
de obiecto  
formali.

Secundò, idem de obiecto materiali virtutum moralium facile ostenditur, quia si obiectum formale harum virtutum, sit medium illud quod præscribit recta ratio, necesse est vt eius obiectum materiale, tum remotum seu materia circa quam versatur, tum proximum seu actus versans circa talem materiam, sit aliquid medium inter defectum & excessum, si enim recta ratio præscribit mediocritatem debet illam præscribere in aliqua materia tum remota tum proxima: præscribit v.g. quantum cibi sumere debeas, vt sis temperans, quantam pecuniam debeas restituere vt sis iustus. Et hoc virtuti Theologicæ non conuenit quæ non nisi valde per accidens respicit mediocritatem in obiecto suo materiali.

Secunda  
pars de ob-  
iecto mate-  
riali.

Dico secundò, essentiam virtutis moralis non in eo consistere quod ipsa virtus sit media inter duo extrema vitiosa, sed hoc esse illi omnino per accidens. Ita docet Philosophus loco illo sæpius citato 2. *Ethicorum*.

Posterior  
assertio.

Ratio euidens est, quia, vt dixi, multæ virtutes morales non sunt in Medio duorum vitiorum, nam licet minus restituere quàm debeas, sit peccatum oppositum iustitiæ, plus tamen restituere quàm debeas non

Probatio  
assertionis.